

divinam, quia eo ipso quod illa est sufficienter constituta et expedita in actu primo ad agendum, si vult illi præbere concursum, statim prodit in actionem, etiamsi voluntas Dei nihil novum in illam imprimat. Est tamen discrimen in exemplo adducto, quia voluntas hominis, applicando intellectum, neque aliquid prævium illi imprimat, neque per se et immediate influit in actionem intellectus: voluntas autem Dei, applicando causam secundam, efficit per se et immediate actionem ejus, et efficiendo actionem, causam etiam secundam ad agendum applicat.

18. *Quid sit apud sanctum Thomam, Deum agere cum causa secunda per modum causæ principalis.* — Superest quartus modus, quem in eodem articulo D. Thomas addit, dicens Deum efficere actionem causæ secundæ per modum principalis agentis, in cujus virtute causa secunda tanquam ejus instrumentum agit, quod longo discursu declarat; tamen summa est, quod solus Deus dat esse virtute propria; aliæ autem causæ in virtute Dei, de quo principio in capite sequenti plura dicturi sumus. Nunc quod ad hunc locum attinet, manifestum est, cum D. Thomas ait *agentia secunda dare esse in virtute Dei*, non loqui de virtute creata et instrumentali, quam Deus prius natura influat in causam ipsam secundam, sed de virtute increata, quæ est idem cum ipsa essentia Dei. Inde enim inferius probat Deum immediate agere in omni agente, quia virtus Dei immediatius dat esse cuilibet effectui quam virtus creata: virtus autem Dei est ipsa essentia divina, et ideo ubicumque operatur virtus Dei, operatur etiam immediate ipse Deus; loquitur ergo de virtute increata. In eodem ergo sensu dicit, *quod Deus in quolibet re operatur, in quantum ejus virtute* (utique increata) *quælibet res indiget ad agendum*. Ergo respectu illius virtutis increatæ dicuntur causæ secundæ instrumenta, non quia virtutem instrumentariam in se recipiant, sed quia in actionibus suis nituntur in virtute ipsa increata Dei, et quia ad nutum voluntatis Dei operantur, et quia ab ea ut a principali causa dependent, et illius cooperatione tanquam præcipua motione indigent. An vero causæ secundæ dicendæ sint principales causæ, vel instrumentales, quantum præsens materia postulerit, in capite sequenti attingemus; sive vero uno, sive alio nomine, sive utroque diversis rationibus appellentur (quod fortasse de modo loquendi est), nunc satis nobis est quod, ut dicuntur dare esse in virtute Dei, non oportet

ut ad agendum novam virtutem, præter naturalem, a Deo recipiant, quia quælibet naturalis virtus, quatenus firma est et permanens, ac congenita cum creatura, est virtus instrumentaria illo modo respectu Dei, et ratione sui esse non potest nisi in virtute Dei dare. Unde in eodem articulo, ad 4, ait D. Thomas quod tam Deus quam natura immediate operantur; et ad 5 ait virtutem inferiorem intrinsece esse instrumentum superioris virtutis, utique Dei. Unde subdit: *Exclusa superiori virtute, inferior virtus operationem non habet*. Solum ergo petit ipsam virtutem divinam quæ inferiorem juvet, atque ita concludimus etiam hunc quartum modum efficiendi Dei in operibus causarum secundarum, non postulare prævium influxum causæ primæ in secundam, sed per efficientiam principalioris Dei in eadem actionem et effectum sufficientissime perfici.

19. *Allera instantia.* — *Rejicitur.* — Dices: ergo quartus modus efficiendi non differt a tertio, et superfluo D. Thomas tot modos efficiendi Dei cum causis secundis numeravit, cum revera unus tantum sit, scilicet, per simultaneam cooperationem; vel ad summum duo, unus mediatum, dando virtutem agendi, alius immediatum, simul concurrentem. Respondeo, quamvis duo primi modi formaliter non pertineant ad actualem concursum, nihilominus, ut jam dixi, a D. Thoma esse præmissos non tantum hoc loco, sed etiam in aliis supra traditis, quia valde conducunt ad intelligendam radicem et causam necessitatis auxilii, seu concursus actualis, quia ex dependentia in esse nascitur dependentia in agere. Deinde, sicut priorem modum agendi per actionem remotam in duo distinxit D. Thomas, licet in re non dicantur actiones distinctas, sed unam permanentem cum duplici habitudine, ut adnotavi, ita in duobus modis ultimis non oportet cogitare duas actiones Dei in re distinctas, quia revera non sunt, neque in illo articulo a D. Thoma asseruntur. Imo contrariæ sententiæ assertores, tam ex tertio quam ex quarto modo positis a D. Thoma, colligunt et probant concursum prævium, nam per illum dicunt applicari causam secundam ad agendum, et per eundem moveri ut instrumentum divinæ virtutis; ergo ex sententiâ illorum illi duo modi non requirunt duas actiones ex parte Dei; nos vero addimus illam actionem non esse nisi concursum simultaneum, quia per illum sufficientissime uterque modus fit. Et ex mente D. Thomæ id confirmamus, quia alias in omnibus illis quatuor modis cooperationem simul-

taneam Dei, quæ maxime necessaria est, in prima causa omisisset, quod est incredibile. Scio dicturos unam sub alia comprehendisse, quia una ad aliam ordinatur; sed non est hoc verisimile, quia intentio principalis erat ostendere immediatum influxum in actionem, quia hic est per se requisitus in prima causa, et hic significatur, cum dicitur Deus esse causa per se actionis creaturæ, et ad hoc declarandum tendunt tertius et quartus modus agendi a D. Thoma positi. Illis ergo modis Deus operatur per unum concursum simultaneum. D. Thomas autem illos distinxit ut duas perfectiones in Deo, ut duas veluti dependentias in causa secunda nobis explicaret. Una est, quia omnis causa secunda, quamvis naturaliter agat, non potest applicari ad agendum sine voluntate Dei, et ideo ejus actio semper est in Dei dominio, et hac ratione dicitur Deus applicare causam secundam ad agendum, quia si suspendat concursum, non potest applicari: si autem illum præbeat, illam applicari sinit, et illam etiam applicat, actionem ejus cum illa efficiendo. Alia est, quod Deus solus per se sufficit ad dandum esse, quia solus est ipsum esse per essentiam; creatura vero sicut non potest habere esse, nisi a Deo, ita non potest dare esse, nisi adjuta virtute Dei, quam ob causam dicitur dare esse ut instrumentum Dei pariter illud efficientis. Et ita illi duo modi magis explicant duas rationes necessitatis concursus divini, quam duas actiones in eodem concursu distinctas. Quapropter ex toto illo corpore articuli sincere intellecto, nihil est quod concursum prævium confirmet.

20. *Tertia instantia.* — Solum nobis facescit negotium solutio ad primam, quia in ea videtur distinguere D. Thomas duplicem virtutem, quam Deus dat secundæ causæ, unam per modum formæ habentis esse ratum et firmum, aliam per modum intentionis et motionis transeuntis, prout intellexit Ferrarius, 3 contra gent., cap. 70, et secuti sunt alii Thomistæ recentiores, quorum expositio olim visa est verbis consentanea: tamen quia ille locus cum aliis collatus non est tantæ auctoritatis, in illo examinando non multum laboravi, et tacite a D. Thoma revocatum dixi, quia revera in nullo alio loco similibus verbis usus est, neque aliquid fluens per modum intentionis in Dei concursu intervenire dixit. Nunc autem, motus auctoritate Capreoli et Cajetani, attentius consideravi discursum illius articuli, et plane intellexi in quarto illo modo agendi, quo D. Thomas dicit creaturam agere per vir-

tutem Dei, non agere de virtute instrumentaria a Deo facta in creatura, sed de ipsa virtute increata Dei, ut jam ponderavi, et ex ipso contextu manifeste ostendi. Estque modus ille loquendi satis proprius, ut D. Thomas ipse ex professo declarat, 1 part., quæst. 36, art. 3, ad 4.

21. *Rejicitur.* — Hinc ulterius animadverti cum proportionem intelligendum esse, quod idem D. Thomas, in dicta solutione ad 7, maxime docet, non potuisse communicari creaturæ ut ageret sine operatione Dei, quia licet illi dari potuerit virtus propria, non tamen vis illa qua agit ut instrumentum primæ causæ; quæ quidem vis, ut declaravi, non est nisi ipsa virtus divina adjuvans virtutem creatam ad agendum: igitur ideo non potest virtus creaturæ talis esse, ut non indigeat operatione Dei, quia non potest esse ipsamet virtus Dei, neque potest illi dari ut sit universale essendi principium, ut idem D. Thomas subjungit. Ex quibus tandem probabilissime dici posse existimo, etiam in principio illius solutionis, non loqui D. Thomam de virtute creata fluente indita causæ secundæ, priusquam agat, sed solum de ipsamet cooperatione Dei, quam comparat divus Thomas motioni instrumenti artis, non quia in omnibus servet similitudinem, sed solum in actuali dependentia superiori agente: in aliis vero non oportet servari similitudinem, quia nec causæ secundæ sunt proprie instrumenta, ut infra dicam, nec exempla oportet esse in omnibus similia.

22. *Confirmatur.* — Cum ergo D. Thomas ait, præter virtutes nativas et permanentes rerum naturalium, *id quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, esse ut intentionem solam*, etc., de actuali quidem motione Dei intelligendum puto, non tamen ita fieri in re naturali, ut fiat in ipsa causa secunda vel virtute ejus tanquam in subjecto recepta (nisi quando in illa recipitur propria actio), sed ita ut generaliter et per se loquendo fiat in re naturali quoad actionem ejus, quia id per quod immediate Deus juvat causam secundam ad dandum esse suo effectui, est ipsamet actio prout fluit a Deo, et ideo dicitur esse quasi motio artis, vel ad modum intentionis. Et hoc modo facile creditur et recte intelligitur non potuisse communicari creaturæ agere sine virtute principali Dei movente, seu adjuvante ipsam. Procedetque exemplum D. Thomæ cum proportionem quadam; nam sicut instrumento artis, ut securi, tribui nequit ut absque fabri motione per se scindat, ita nec causis

secundis, quæ veluti instrumenta divinæ artis sunt, tribui potest ut sine supremi artificis influxu efficiant. Ad hunc ergo modum potest ille locus exponi, ut nec assertioni nostræ, nec doctrinæ ejusdem auctoris in aliis locis, imo in eodem articulo in corpore contrarius sit. Si autem alicui visum fuerit vim aliquam inferri illi litteræ, potest persistere in priori responsione a nobis data, nam sine dubio sententia D. Thomæ in aliis locis satis perspicua est, et in eis si modum loquendi non correxit quoad sensum doctrinæ, saltem emendavit clarius loquendo, quod maxime ex his quæ de causis liberis dicemus confirmabitur.

## CAPUT XXXIX.

QUID ARISTOTELES VEL ANTIQUI PHILOSOPHI DE NECESSITATE CONCURSUS PRÆVII IN CAUSIS SECUNDIS NATURALITER AGENTIBUS SENSERINT.

1. *Verba Aristotelis adducta ab adversariis.* — Superest ut de philosophis, præsertim de Aristotele, pauca dicamus. Nam P. Alvarez ita dicit suam sententiam esse expressam Aristotelis, sicut Augustini et Thomæ. Ad id autem probandum adducit hæc verba Aristotelis, 8 Physic., text. 53: *Utraque igitur movere dicimus, et primum et ultimum movetur, sed magis primum; illud enim movet ultimum, sed non hoc primum, et sine primo quidem ultimum non movebit, illud autem sine hoc, ut baculus non movebitur, nisi moveatur ab homine.* In quibus verbis sentit Aristoteles quod, sicut baculus non movebit aquam, nisi moveatur a manu, ita neque causa secunda aget aliquid, nisi moveatur a prima. Habetque vim hoc testimonium, supposito alio principio ejusdem Aristotelis, quod agentia creata non movent nisi mota, 7 Physic., cap. 1, et lib. 8, cap. 5; et intelligit de proprio motu recepto in ipso agente, quia inde concludit deveniendum ad unum primum movens immobile. Tandem allegat Aristotelem, in libro de Caus., propos. 1 et 16, dicentem virtutem divinam esse virtutem omnium causarum, et conjungere illas suis effectibus.

2. *Explicantur illa verba.* — *Dubia mens Aristotelis de immediato causæ primæ concursu cum secundis.* — Sed imprimis in his locis nihil invenio ab Aristotele dictum de modo concursus primæ causæ cum secundis: nam in prioribus locis non tractat de omnibus causis efficientibus, sed de moventibus motu physico. Ultimus autem locus non est Aristotelis, sed

vel Procli, ut quidam volunt, vel alicujus incerti auctoris Arabis, ut D. Thomas in principio Commentarii ejusdem libri sentit. Deinde neque priores propositiones in vero sensu applicatæ cum proportionem ad quæcumque causam efficientem, neque posteriores, aliquid obstant assertioni positæ, sed illam potius confirmant, ut statim declarabo. Prius tamen adverto non satis constare ex doctrina Aristotelis quid ipse senserit de immediato concursu primæ causæ ad omnes actiones causarum secundarum. Nam in libro de Mundo ad Alexandrum, versum finem, id plane negare videtur ab illis verbis: *Reliquum est ut summam disseramus de causa quæ omnia continet; et de qua inquit: Vetus fama est, et quidem hæreditaria mortalium omnium, universa a Deo, et per Deum nobis esse constituta, nec vero ulla natura per se sufficit orbata salute quam ipse ferat.* Nihilominus statim latissime docet Deum non immediate ac per seipsum omnia facere, neque omnibus præsentem esse, sed in sublimi loco existentem, inde virtutem suam diffundere, primo quidem ac præcipue in cœlestia corpora, et interea efficacius in ea quæ sibi propinquiora sunt, ac proinde hæc terrestria *divinam utilitatem* (ut ait) *infirmius participare.* Unde sic concludit: *Itaque rectius est judicare, quod etiam conveniens et Deo maxime decorum intelligitur, in cælo virtutem esse constitutam, et plurimum remotis, ut uno verbo rem absolvam, et omnibus in universum salutem afferre, quam penetrare, et eo frequenter accedere, ubi neque honeste, neque liberaliter ipse per se conficeret quæ apud nos essent.* Quod postea exemplo imperatoris humani late declarat et suadet, ac iterum concludit: *Gravius et decentius existimabimus Deum constitutum esse summo in loco, et virtutem ejus per universum mundum diffundi, solem et lunam versare, et cœlum totum convertere, auctoremque esse salutis eorum quæ in terra continentur.* Et postea declarat illo simplici motu Deum hæc omnia inferiora operari, et hoc putat ad efficaciam virtutis ejus pertinere. Et infra iterum sic ait: *Natura divina de simplici quodam rei primæ motu proximis largitur, atque de his iterum ad remotiora, quoad per universum transeat. Aliud enim ab alio motum, et hoc rursus aliud videtur agitare cum mundo.*

3. *Negat Aristoteles hunc concursum immediatum.* — Ex quibus evidenter apparet Aristotelem non credidisse Deum, per seipsum et immediate, operari omnia causarum secundarum opera immediate virtutis. Imo nec de hæc

immediata virtute sensisse videtur esse aliam ab influenza cœlorum, quæ ab ipso Deo movente cœlum originem ducit, et ideo virtus etiam dicitur, quia per virtutem ejus efficitur. In hoc autem Aristoteles graviter erravit, et de Deo et de efficientia ejus humiliter ac indigne sentit: ideo tam de illo quam de aliis philosophis ita dicentibus, merito dixit Albertus in 1, distinct. 45, art. 3: *Quidam philosophi excluderunt voluntatem Dei ab operibus naturæ, dicentes eum tantum posse movere primum mobile, alia vero moveri diversimode secundum distantiam ab ipso, et illi qui vanitatem secuti sunt, in vanitate obierunt, et obscuratum est cor insipientium eorum.* Sicut Tullius qui negat præscientiam, ut stabiliat casum et fortunam. Et Commentator super Physicam et Metaphysicam, qui negat Deum immediate operari in quolibet, ut stabiliat unicuique propriam actionem secundum propriam naturam quam habet; et in prima, distinctione tertia, articulo primo, Aristotelis conjecturas dissolvit.

4. *Nullum efficax argumentum ex Aristotele duci potest hoc loco.* — Cum ergo Aristoteles et ejus Commentator in errore versatus fuerit, nullum argumentum efficax ex ejus doctrina sumi potest; nam si omnino negavit influxum causæ primæ in effectus causarum secundarum, tam immediate virtutis quam suppositi, ut Albertus indicat, profecto neque concursum prævium, neque simultaneum admisit: si autem posuit causam primam influere in effectus causarum secundarum, saltem immediate virtutis, licet non suppositi, ut Fonseca sentit, et verba Aristotelis indicant, tunc mirum non est quod posuerit prævium influxum in causam, sicut nos capite sequenti dicemus de influxu cœlorum seu causarum creaturarum universalium, quia præter illum non posuit concursum simultaneum: unde si virtus increata Dei non operetur, per seipsam immediatam, actionem causæ secundæ, nec causa secunda sola sua virtute illam efficit, necesse est ut aliqua virtus creata addatur causæ secundæ, quæ habeat vicem Dei, et cum causa secunda operetur.

5. *Quid sit virtus quam Aristoteles dixit a prima causa derivari.* — Juxta hunc tamen modum ponendi prævium influxum in causam, tollitur concursus simultaneus immediate procedens ab ipso Deo, sicut Aristoteles illum negavit. Unde a contrario sumimus efficax argumentum. Nam ideo Aristoteles posuit virtutem illam descendente a Deo ad causas secundas, prius ad proximas, et per illas ad

remotas, quia non putavit Deum per se facere omnia, et esse in omnibus causis, et immediate immediatione virtutis propriæ et suppositi operari in omnibus; ergo e contrario, si immensitatem virtutis increatæ Dei intime existentis in omnibus causis et effectibus creatis cognovisset, et perfectum modum operandi Dei in omnibus immediate per suam virtutem et suppositum assecutus esset, profecto nunquam de illa virtute prævia et diffusa cogitasset. Quapropter virtus illa de qua Aristoteles locutus est, non est talis qualis ab his Theologis cogitatur. Nam ab Aristotele ponebatur ut virtus quædam per modum actus primi, quæ posset supplere totam immediatam efficientiam causæ primæ necessariam ad actionem causæ secundæ, ita ut illa virtus jam non indigeret alio concursu simultaneo ipsiusmet Dei, in quo sensu continet illa sententia gravissimum errorem in fide, et repugnantiam in ratione naturali, quia si virtus illa creata est, essentialiter pendet ab actuali influxu Dei, ut nunc supponimus esse demonstratum. At vero Doctores catholici longe sunt ab hoc errore: non possunt igitur Aristotelis auctoritate juvari, nec rationem reddere cur novam præviam virtutem creatam requirant, si virtutem increatam intime assistentem, et per seipsam operantem, ut par est, agnoscunt.

6. *Responsio ad Aristotelis loca allata.* — His ergo consideratis, facilis est responsio ad testimonia Aristotelis allegata. Ad primum enim respondemus Aristotelem ibi de moventibus et motis physico motu, sive locali, sive alterationis, sive alio simili loqui. In quibus manifestum est, si plura sint moventia et mota inter se subordinata, et sistendum esse in aliquo primo, quod ab alio non moveatur, ne detur processus in infinitum, et a primo movente pendere reliqua, quia, si primum cesset, cætera usque ad ultimum necessario cessabunt, quia primum non movet ultimum nisi mediante proximo: ergo si prima motio cesset, cætera deficient; e contrario vero non sequitur, si posteriora cessent, primum etiam cessare a motu, quia non pendet ab aliis in movendo. Et ideo dixit idem Aristoteles in eodem cap. 5, text. 4: *In moventibus et motis per se ordinatis magis movere primum, quam reliqua, quia potest moveri sine reliquis, non vero alia sine ipso.* Verumtamen in his locis, ut notavi, semper Aristoteles loquitur de causis ita subordinatis, ut ultima tantum immediate moveatur in illo ultimo motu, ita ut prima solum immediate moveat secundam, et per illam